



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

21. Augusti. Nolo, & volo non habitant in hac domo. S. Ig. apud Bart. l. 3.
n. 27.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

verbis ædificant, manibus destruunt, plus
scandali his præbent, quàm ædificationis.

Vocatio pro cura animarum vocari de-
bet ad censuram ; si quærendi victûs, ac-
cipiendi proventûs, fugiendi laboris causâ
fufcipitur, corpori providet, animam pro-
digit. Sic cæci fiunt duces cæcorum, &
quò modò ?

21. Augusti.

Nolo, & volo non habitant in hac domo. S.

Ign. apud Bart. l. 3. n. 27.

IN templo pacis locum habere non pos-
sunt turbatores, quidquid quietem tur-
bat, à voluntate venit; hæc ubi tenet im-
perium, perpes ibi bellum, nec spes ulla
pacis, donec illa in ordinem dirigatur.

Primum inter relinquenda voluntas
est; si sequeris hanc, Christum non asse-
quêris; nullus nobis, nullus cætui religio-
so major hâc hostis; hæc si exulet, omnis
superata est difficultas.

Nec velle quidquam, nec nolle, bea-
tum facit; hoc affecutus curas omnes
posuit. Supra metum est, nihil ei triste,
durum nihil occurrere potest. Sic in cælo
beati vivunt, nihil appetunt, nihil refugi-
unt; en cælum ante cælum! Non

Non est certior ad cœlum via, quàm si-
nè voluntate ; hanc si ponis , omnis tibi
actio, motus omnis in meritum abit. Quot
passus , tot facis ad cœlum gradus. Non
itur sic ad cœlum, sed curritur.

22. Augusti.

*Si corpus valetudinis prætectu molestiam
queritur, non est audiendum spe libera-
tionis, sed mutatione equalis molestia
elidendum. S. Ignat. ap. Bart. l. 3. f. 218.*

A Scuta vulpes sensualitas, ut molesti-
am fugiat, simulat ægritudinem.
Grave argumentum, si amor proprius ferat
sententiam, exulabit mortificatio, vivet
sensualitas, sed & vitia cum ea vivent,

Qui propter Deum reliquit omnia, nec
valetudini adeò scrupulosè adhærebit, ut
remota hujus pericula præ animæ damnis
timeat, nisi virtutem emori, sensualitatem
dominari velit.

Sanum te volo , non delicatum. Sunt
tam innoxia mortificationem genera, ut
nullum in iis valetudini sit periculum ; à
quibus nec molestiæ minùs, nec meriti ex-
pectare queas.

Qui cuticulam fovent, citiùs moriun-
tur;